

www.e-rara.ch

Sciagraphia templi Hierosolymitani

Sturm, Leonhard Christoph

Lipsiae [i.e. Leipzig], 1694

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-75>

Sectio II.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

S E C T. II.

Qua Templum juxta Ezechielis
visionem ordine describitur.

CAP. I.

De Calami mensuræ vera divisione.

Calamus mensuræ definitur, tanquam universalis templi mensura Cap. 40. v. 5. Quod fuerit *וַיִּטֶּן בְּאֵמָה וְשֵׁשׁ אַמּוֹת בְּאֵמָה וְשֵׁשׁ אַמּוֹת בְּאֵמָה*. 6. *Cubitorum in Cubito & palmo*, juxta Coccejum & alios plures. Pagninus legit *& palmo*. LXX. etiam Interpr. *καὶ σπιθαμῆς*, B. Luth. 6. Ellen und eine jegliche Elle war einer Handbreit länger, als die gemeine Elle. Lat. Vulg. 6. *Cubitorum & palmo*. Omnes adeo versiones fere diversum loquuntur: quænam igitur vera, quæq; juxta fontem ipsum juxta Calami mensura sit, disquirendum. Villalpandus quidem Vulgatam sequi se existimans, & genitivo palmi in aliorum versionibus morus, definit Calamum 6. Cubitis & uno insuper palmo. Malo tamen pro B. Lutheri versione stare.

§. 2. Argumenta sententiam meam defendentia invicta hæc sunt.

1. v. 7. cap. hujus Thalami definiuntur, calamo quoad longitudinem & latitudinem. vers. 12. eidem 6. cub. mensura exprimuntur. Si dicas numerum rotundum accipi tantum, aut diversas mensuras exprimi, facile exceptionis levitatem ostendam si opus sit, sed eam tollit Argumentum

2. dum dicuntur gazophylacia circa templum aut potius interiora penetralia fuisse alta 6. Cubitos *מֵלֵךְ הַקֶּנֶת* pleno calamo. c. 41. v. 8.

3. Expresse cap. 43. v. 13. consentientibus cum fonte omnibus versionibus, dicitur Cubitum continuisse cubitum vulgarem & palmum insuper.

§ 3. Calamus Villalpandi plane ineptus est, ad sacram hanc Architecturam, quæ, uti in expressis, ita proculdubio in reliquis mensuris omnibus simplicitatem summam, amavit, difficultatem vero & fractiones abhorruit: rationes selectas & harmonicas tantum potissimas ubique adhibuit, ideo nihil admittens quod non ad reliqua ejusmodi ratione gauderet. Improporionatum enim simul imperfectum esse, quotidie a natura ipsa docemur, ergo & Deo indignum qui nostri ædificii Architectus est. Sic extremus ambitus totius areæ, cui templum insitit definitur, uti sequenti capite videbimus 500. Calamis quovis latere, Templum vero quovis laterum suorum totidem cubitos continebat, quod elegantissimum est & Villalpando etiã acceptum. Sed si resolvimus Villalpandi calamos elegantia perit. Nam provenient 3083 $\frac{1}{2}$ Cubiti. Sed num hic numerus Dei Architectura dignus est? qui non solum numero difficillimo sed etiam fracto absolvitur, & ne minimam versus 500. Cub. templi rationem habet? Ubi præterire non possum, quod Villalpandus Lib. IV. cap. 75. p. 389. Cubito 6. Palmos adscribat Lib. III. cap. 17. p. 184. tantum 4. quæ inter se conciliare non possum; hic vero ita loquitur: *Hanc igitur (nempe extimam) ædis frontem (500. Cub.) quæ eadem fuit in quolibet latere quadrato, partitus est Architectus in æquas partes numero 80. Quoniam ipsa columnarum constitutio totidem exigebat, atque earum unam (6 $\frac{1}{4}$. Cub.) quam Vitruvius dixisset modulum, calammum mensura vocavit Hebræa Phrasis. Ibi vero inquit: Pro palmo est in fonte פָּלְמָה & apud LXX. σπιθαμή h. e. palmus major, qui continet ternos palmos, scilicet digitos duodenos, hoc est semicubitus. Cæterum observat Villalpandus 16. calamos 100. Cubitis suis commensurari, quo valde gaudet, cum tamen nulla inter 16, & 100. proportio sit.*

§. 6. Ergo satis constabit Calamum meliori Jure 6. exacte cubitis commensurari sed majoribus, ita ut quilibet vulgarem cubitum palmo superet, minori quidem scil. quatuor digitis. Convenit pro sententiæ hujus confirmatione, nobis cum eorum versio qui palmi scribunt. Ita dicim⁹ recte Calamus erat 6. Cubi-

Cubitorum, in cubito & palmi, h.e. & in cubito vel in cubito infuper quolibet erat palmi, adeoq; juxta quod erar 6. cubitorum, erat etiam palmi sexies sumti. Altera ratione convenienter pronunciamus. Calamum esse 6. Cubitorum, in cubito & palmo contentorum sc. *cubitum & palmum habentium* vid. Cocceius in Cap. 40. v. 5. not. 7. Quid si vero Latinus Inter pres vulgata, circa verum sensum dubius, in complete versum exprimere, & tamen tacite pro altera sententia se declarare voluisset, dativum & palmo cum genitivo cubitorum conjunxisset? Mera hæc conjectura est, id tamen certum quod neque hanc versionem pro se citare Villalpandus possit.

§. 7. Ulteriorem Cubiti subdivisionem S. Architectus nullam indicat, nec etiam pro ichnographia, quod mireris subtiliore opus habemus quam ad minimum in quatuor partes pro scalis. Si vero ad Architecturam ipsam accuratius designandam progredimur, subtilissima utique quærenda est. Secundum vulgarem usum, divideremus in 7. palmos, & palmum in quatuor digitos facit 28. hos vero singulos in 10. aut 12. particulas; inde 280. hinc 336. proveniunt. Sed omnes hi numeri videntur ad rationis & perfectionis architecturæ nostræ dignitatem non pertingere. Itaque aliquorum hodierna ratione pedem in quatuor subdividimus partes, & quamlibet ulterius in quatuor, ut pedi 4. palmi minimi, quales 4. digiti circa medias flexuras constituunt, apte tribuantur. Igitur cubitus 32. digitos includet. Jam addamus pro cubito sacro palmum oriuntur 36. digiti. Quolibet horum divisio in 10. particulas subtilissime cubitum in 360. partes distinctum obrinemus; Hic numerus per omnes simplices divisibilis est, excepto septenario, qui uti ad elegantes rationes constituendas ineptus, ita ex nostra architectura plane omissus est. Aut verius juxta rem ipsam ponamus, quod Rabbini volunt, Cubitum communem quinque palmos continuisse, addito palmo cubitus ad calamum erit, uti palmus ad cubitum. Jam palmus communiter 4. digitos, aut 3. pollices continet. Pollicem vero dividamus bifariam. Habebit palmus iterum 6. partes. Denique partem
quam-

quamlibet subdividamus in 10. partes, proveniunt iterum 360
 particulae. Quem numerum si non verum esse credam, hoc
 tamen certum habeo, pro Architectura perfectiorem & ele-
 gantiorem excogitari non posse.

CAP. II.

Generalem templi cum ædificiis atque atriis suis dispositionem declarans.

§. I.

UT facilius omnes sequentia intelligere possint, ante omnia
 figuras additas explicabo, quas deinde B. Lectorem ro-
 go, ut toti tractationi continuò jungat; qua ratione spero hanc
 simplicem delineationem plus lucis allaturam esse dictis meis,
 quam perfectæ plantæ Architectonicæ possent, quæ vix nisi ab
 Architecturæ gnaris sint percipiendæ.

§. 2. Nimirum extractum fuit templum in monte Hiero-
 solymorum altissimo Moria dicto in extremo urbis versus ori-
 entem sito, & ex lateribus Orientali, Meridiano & Septentriona-
 li prærupto. Super hunc, vid. Fig. 2. spatium accurate quadratū
 ABCD definitur, muro undiq; cinctum, qui diversis partibus
 constans, ordine distinctus pilis erat inter quos murus minus
 crassus interjacebat. Pilæ formam perfectæ Cubicæ, qualem
 tesserae lusoriæ, habebant. Hunc murum 6. cubitos altum to-
 tidem latum mensus est S. Architectus cap. 40. v. 5. totus vero
 hujus spatii Circuitus 12000. Cubitos s. 2000. Calamos com-
 prehendebat, quodvis adeò latos 500. Calamos vel 3000. cu-
 bitos. Cap. 42. v. 15. usque ad fin. In Judæorum gratiam liceat
 aliquid hic fingere, nempe ex spatio hoc refecamus in medio
 aliud spatium quadratum, 12. *scalis* s. Cubitis elatius, singulis
 lateribus 1000. Cubitos continens, ut adeò exterius spatium cæ-
 terum ad libellam exactissime complanatum, 1000 Cubitos
 undique latum, fuerit, 8. spatia quadrata 1000 Cubitorum
 comprehendens. Exterius spatium ABCD vocabimus atrium
 gentium cui ædificia imponere uti non necessarium, est, ita
 propter

propter gentium multitudinem ibi colligendarum ne quidem
 convenienter fieri potest. E medio quadrato EFG ex ipsa rei
 veritate in sequentibus demonstranda, ipsi medium aliud re-
 secamus HIKL 500. cub. latera habens undique. Adeo re-
 stat circa illud spatium 250. Cub. latum. Hoc exterius cinge-
 rem peribolo extrinsecus 6. Intrinsicus 3. Cubitos alto, cujus
 pilis juxta portas lex Castimonix, & alia Gentibus accessum
 prohibens inscriberetur. Spatium autem ipsum Mulierum
 atrium vocaretur, & in medio relictis utrinque 100. Cubitis
 porticu cingeretur 50. Cub. lata & ad similitudinem Hero-
 dianæ qualis a Josepho describitur extracta. Hæc juxta pro-
 portiones, quas ex hoc Ædificio templi deduximus, fingere
 lubuit. Progredimur ad intimum quadratum vere juxta S.
 Scripturæ ostensionem distribuendum. Quadratum hoc
 HIKL (jam Fig. 3. inspicienda) elevamus 2. Cubitis, & ex-
 inde porro, a medio lateris Occidentalis incipiendo, separamus
 rectangulum MNOP. versus orientem 350. Cub. longum &
 200. latum, idque ulterius 2½. Cubitis elevamus. Hoc altis-
 simum spatium templo & sacerdotibus tribuendum, sanctissi-
 mum est, quo neque Levitis, neque reliquis viris Israelitis ve-
 nire licebat, nisi holocausta offerentibus. Quod circumjacet
 spatium viris Israelitis accedere fas erat. Hoc in circuitu 7.
 atria habebat, a b c d, e f g h, i k l o, m n o p,
 P, q r s, t u w x, & y z α β. singula 100. cubitos longa &
 lata, interius spatio sancto contigua, exterius vero contiguis
 ædificiis V H k I K r L α. cincta quorum omnium latitudo seu
 profunditas V H, (uti hic loquimur) erat 50. Cubitorum. Inter se
 quoque distinguebantur atria ædificiis v.g. v a d N & behe sibi lon-
 gitudine æqualibus latitudine vero 50. pariter Cubitorū. Omnia
 hæc ædificia tres contignationes ad tectum usque continebant,
 simul 50. Cubitos altas, non computata substructione, quæ
 quasi triplex, & versus inferiora crassior facta tota extra ædifi-
 cia, e terra 10. Cubitis prominebat, in atriis superiores
 duæ partes, altitudine 7½. & suprema tantum alt. 5. Cub. orna-
 taque inferius superiusque ad modum Strylobatæ in interiori atrio

eminebat. Unde per gradus ab atrio ad atrium adscendendum erat. Inter ædificia autem cingentia, quovis in latere atriorum tria rectangula erant 100. Cub. longa & 50 lata. Inter hæc quod reliquum spatii erat, turres exacte 50. Cub. lati & longi explebant. Medium ædificium porta (1234.) pervium in singulis tribus lateribus erat, juxta profunditatem ædificii 50. Cub. profunda aut longa, & 25. lata. Ante has eadem latitudine exterius & interius vestibula, s. propylæa, aut porticus liberis columnis suffultæ erant, (1235. & 3487.) in egregiam ædificii magnificentiam.

§. 3. Reliquum utrinque juxta portas spatium, conclavia 6. hinc & 6. inde cum interjacentibus ambulacris explebant. Turres, quæ solo tecto prominebant, interius quasi quadratas exedras comprehendebant, in singulis contignationibus undique semicolumnis ornatas, mediæq; in iis ascendebant scælæ principales; nam pro parvis, ubique necessariis magno numero, ne viderentur, crassimuri, uti etiam pro caminis & recessibus suppetebant. Reliqua duo ædificia in superioribus contignationibus conclavia secundum longa latera contigua habebant, inter quæ ambulacrum erat. Inferior vero contignatio uno Oeco vel Porticu completa, undique ad parietes dimidias columnas & in medio duplicem seriẽ liberarum, conclavium superiorum parietibus substratarum habebat. Versus exteriora octo fenestris tantum sed 3. Cub. latis 6. altis, versus atrium vero arcibus totidem 8. Cub. latis & 16. altis patebat. Deniq; ædificia quæ atria distinguebant his simillima erant, nisi quod utrinque inferior contignatio arcibus patebat. Hæc tot tantæque, tamque magnificæ porticui erant necessariae, ut ibi præsertim festorum tempore immani numero colligendus populus commode commoraretur.

§. 4. Hæc ædificia undique columnas habebant in inferiori contignatione quidem tam crassas ut 3. robusti viri amplectendis iis vi x sufficerent, inter eas vero partim totas & libere consistentes partim dimidias ac parietinas in media minores, & his iterum minores in tertia erant, ut sibi commode & firmiter, impo-

imponerentur. Inter has liberae erant 418. reliquae numero 1486. parietinae erant, ut in atriorum exteriorum aedificiis adeo 1904. columnae numerarentur. Rectangulum Medium M N O P distinguimus in duas partes M N c Z Rectangulam, & Z c O P. Quadratam.

§. 5. Hujus tria latera, Sept. scilicet Orient. & Meridian. septa erant aedificiis, exterioribus aequalibus, & quidem turribus quadratis quatuor 50. undique Cub. latis, aedificiis vero rectangulis 100. Cub. longis, & 50. profundis. Turres binae occidentales o h ♂ ♀, & h c t Z per tres contignationes tot exedras quadratas continebant. Sed reliquae duae Orientales g O m z & c o p P u. scalas continebant, quas ut illuminatae sint, aliter nisi magnificentissima ratione hac effingere non possumus. In mediis turribus nempe atriola quadrata constituimus, muro suo cincta, quae incidente superius lumine fruuntur, murum autem undique fenestellis in medio sibi invicem super impositis pluribus perforamus. Exterior vero murus ex quatuor plagis ostia recipit quibus fenestellae oppositae sunt. Inter utrumque vero murum scalae, intermixtis tam in medio, quam in angulo quovis, spatiis ad quietem, ordinantur, ut adeo 8. scalae & 8 spatia circumferentia ab solvant. Has scalas quadruplices facere possumus, ita ut quaelibet a proprio ostio incipiens, ad duas quasi proprias contignationes ascendat, ita ut diversis scalis ascendentes quoque diversa loca petant, & sibi invicem ne visu quidem occurrant. Aedificia tria interjacentia portis in medio pervia, ab exterioribus oppositis nihil nisi eo differunt, quod interiori vestibulo careant, & ex utroque latere tantum 4. conclavia habeant, cruciformi ambulacro & versus atrium interius aperto distincta. Haec aedificia atrium includunt, ♀ z c h 150. Cub. longum & 100. latum, a quo per peribolum modo divisum occidentale, longum 100. Cub. profundum 50. Altare magnum, cum vasis subdialibustempli continet.

CAP. III.

De Portis Exterioribus.

§. I.

Tres portae exteriores exaestive similes fuerunt, & ex descriptione,

H₁

ne,

ne, omnium trium tantum unicam delineationem effingere opus sit vid cap. 40. v. 21. usque 27. Ipsam vero portarum cognitionem unice ad dispositionem Architecturæ, per totum opus satis specialiter pertinere & sufficere ea præsertim hic monere eos volui, qui Architecturam penitius scire desiderant. vid. Fig. iv.

I. De Vestibulis.

Ante singulas portas tam extrinsecus quam intrinsecus pono propylæa vel porticus apertas, parietibus carentes liberisque columnis suffultas, & quidem juxta portarum latitudinem 25. Cubitos latas, & columnis quatuor in medio duplo plus quam utrinque distantibus fundatas. vii, viii, iii, iv. & v, vi, ii, i. Ejusmodi vestibula Villalpandi Architecturæ dispositio penitus respuit unde etiam, illa tanquam Scripturæ S. contraria rejicit, igitur adstruenda erunt vestibula mea, quo ipso Villalpandi ruunt opiniones.

§. 2. Antea autem de vestibulis in genere agendum erit. Nimirum alia erant vestibula ante templa & publicorum ædificiorum aliorum portas, alia in ædibus privatis, illa potius Propylæa vocanda sunt supra a nobis descripta. Hac vero alia iterum a Græcis alia a Romanis fiebant. Utraque intra ædificium erant, sed Romanis magis spatiosum. Græcorum intra duas januas spatium occupabat. Sed apud Romanos anterior janua quasi cum toto pariete resecta erat, ut eo magis pateret. Unde Vitruvius ea ante januam posita dicens, facile sed male intelligi potest, quasi vestibula Romanorum extra ædificium constituta fuissent, quem errorem Villalpandus quoque erravit unde posterioris generis vestibula, solum Græcis ædificiis & quidem in genere, prioris Romanis adscribit, cum tamen utrumque genus utrique genti in usu fuerit. Jam vero dicit se posterioris generis malle usurpare, quia græcos ex nostro templo architecturam didicisse probabile sit. Quod, uti non dicturus, nec vestibulum privatarum ædium tam magnifico ædificio tributurus fuisset, si recte Vitruvium obscurissimum percepisset, ita alias ne quidem succedit, Nam si græco

more

more vestibula hic fecit, tota porticus portæ interior, inter duas januas quippe interjacens, vestibulum dicenda esset. Quare cum hoc per Sacram Scripturam asserere non liceat, eo res redit, ut Villalpando revera ipsa janua portæ simul quoque vestibulum dicatur: Quo satis Architectonicis argumentis Villalpandi sententiam infregisse videor. Sed ponderosiora restant. Jam enim ex S. Scriptura agendum erit.

Ezech. cap. 40. v. 9. dicitur.

וְאֵלֶּם הַשַּׁעַר מִבְּיָתוֹ

Vulg. Vestibulum autemerat porta intrinsecus. LXX. καὶ τὰ εἰσόδου τῆς πύλης ἔσωθεν Luth. Und die halle von inwendig des thores. Hic videantur omnia cum Villalpando consentire & vestibulum statui, fuisse intra portam. Sed intra portam mensuras vestibuli invenire difficile imo impossibile est, nisi cum Villalpando portam & vestibulum confundere velimus. Unde prima mihi exoritur de vera interpretatione hujus loci dubitatio.

§. 3. Secundo dicitur vestibula ante portam meridiālem & septentrionalem fuisse, ergo fuerunt etiam ante orientalem, per omnia enim similes erant. v. 22. 26. omnibus interpretibus consentientibus. Inter hos vero plurimi vertunt ante gradus portæ, *Vulgata ante eam scilicet portam. LXX. ἔσωθεν.* In fonte לְבֵינֵיהֶם Ubi quidem plane videre non possum unde *LXX.* intrinsecus scribant. Neque illud comprehendere possum qua ratione, ad facies vel ante, cum ultra vel intra possint *συνανομῶς* dici uti Villalpando videtur si vero *τὸ* ante ad gradus spectet, quid juvet Villalpandum suum ultra, nam ultra scalas & simul extra januam vestibula ponerentur.

§. 4. Tertio adhuc magis expresse ante interiores portas exprimuntur vestibula, & quidem 25. cub: lata uti portæ ipsæ erant, & respicere versus portas exteriores dicuntur. præcipue v. 30, cap: ejusdem quo quidem nihil clarius esse queat. Ergo necessario ante portas exteriores etiam vestibula fuerunt, alias non similes sibi fuissent. Nihilominus contra nititur Villalpandus, ne suam Architecturæ dispositionem iterum rejicere cogatur. Hinc ad prius dicit Hebr. vocem לְבֵינֵיהֶם uti

fornices ita hic loci postes significare, quibus fornices inni-
tuntur, id quod ex eo confici videtur, quod hæc vox affinis
fit radici *פֶּלֶא* & *פֶּלֶא* quæ postem significant vel frontem pos-
tis. Igitur hic metiri angelum idem hic, quod supra v.7. inter tha-
lamos cubitis quinque mensus fuerat, Postes nimirum, quos
simul nunc dicat 25. Cub. altos. Ad posterius vero replicat.
*Quia hæc verba, Et vestibulum ejus ad atrium exterius innuant, at-
tentius perpendendum est. Cujus rei gratia scire oportet, atrium inte-
rius, seu sacerdotum duplici quidem ratione ab exteriori Israelis diver-
sum fuisse, tum quod illius solum super hujus solo octonis elevaretur
gradibus; tum etiam quod peribolo quodam proprio supra prædictam
altitudinem soli erecto circumdaretur: ita ut ad illud aditus undiquaque
intercluderetur, & inaccessum esset atrium, præterquam per portas,
quæ omnia suis locis confirmanda sunt. Hoc vero hic assumto, ve-
stibulum porte interioris ad atrium exterius fuisse dicitur, vel respexisse,
quoniam peribolus ille, quem diximus interiorem murum porticus inte-
rioris circumdare, atrio interiori tantum arcem subdialem relinquebat,
& porticus omnes, tum atrii exterioris tum interioris, atrio exteriori.*

§. 25. Tam proluxa verba adducere volui, ut Villalpandi
genius inde Lectori innotesceret, & ipse judicare melius pos-
set, an inopinatus & magis anxium effugium ulla rati-
one excogitari posset, sed & magis astutum. Imo an tam mi-
nuta & longa sollicitudine compilatum templum, divinis
sermonibus exprimi credendum sit. Ut falsum ab eodem as-
feri, taceam, quando postes illos, quibus hic, nimiam ver-
bis sacris vim faciens, columnas addit, 25. cubitis dimensos di-
cit, cum intra portam, non nisi postes cum columnis & Epi-
stylio extent, quæ simul vix 24. Cubitos efficiunt.

§. 6. Puto igitur & in genere, & simul contra Villalpan-
dum, cui objicere multo plura possem, nisi ipse lubens in tan-
tum virum dicere abstineam, demonstrasse, quod vestibula
fuerint extra portam. Adeoque patebit, a domo juxta fontis
verba versu 9. non posse significare portæ intrinsecus, neque
etiam verbum auxiliare, erat hic admitti posse. Sic vero remoto

¶ Erat ex vulgata, sensus unanimis & facilis ac convenientissimus nostri loci in promptu erit. Nimirum dicemus:

§. 7. *Et mensus est vestibulum portæ 8 Cubitorum Sc. 8* (mensus est etiam vestibulum (quod erat) a domo, vel ultra domum, intrinsecus portæ vel ad portam. Vestibulum enim intrinsecus etiam portæ exteriori adjacet (1.2.6.5.), ipsa Symmetria cogente, cui opponeretur vestibulum exterius portæ interioris (3.4.7.8.), quod per se admittent Architecturæ gnari, cæterum manifeste demonstratu possibile. Hæc igitur vestibula necessario ponenda brevissime & elegantissime hoc loco confirmantur. Nec officit, quod mensuræ ipsæ non addantur, uti nec illud, quod scalarum numerus portæ orientalis, demum ex reliquis cognoscatur portis. Nimirum hac ratione miraculosè sine verbis dicitur, hæc vestibula propter Symmetriam & perfectionem domus fieri. Cæterum finem Spiritus S. scrutari nolo, in quem sapius hoc loco duo similia expressurus, ea tantum plenario describat ubi ultimi mentionem facit. Cæterum vestibula hæc ita demonstrata, aliam non admittunt formam ulla ratione, quam qua ea adornavimus.

§. 8. Utrinque in vestibulo hoc, duobus fenestellis parietem perforamus, quas eleganter, ne fenestris similes exterius Symmetriam confundant, undique cymatio tantum aliquo cingimus, & ita loco tabularum ponimus, quæ alias in ejusmodi loco ornamentum ergo effici & sculpturis vel insignibus & symbolis ornari solent. Hæ fenestræ requiruntur ad scalas cochleares intra murum latentes illustrandas & expresse requiruntur, cap. 40. v. 16. Conf. figuram tituli qua orthographice exterioris vestibuli speciem expressi, & Fig. 4.

§. 9. De liminibus & thalamis tractatio prior. Introeuntes portam, limen ejus III, IV, A. B. ex versu 6. cap. nostri metimur 6. Cubitis s. calamo, & inde muros quoque eandem spissitudinem habere videmus. Verum dicitur apud B. Lutherum nostrum *Et mensus est limen portæ, quodlibet limen latitudine calami.* Hic difficile est exponere quid innuat repetitio *quodlibet*

structione utrinque tria parva conclavia E, adornata erant, unum accurate in medio consistens, utrinque vero adhuc duo æqualibus distita intervallis, quæ infra dimetiemur. Murus hic substructionis inter eos 6 cub. crassus erat. Post altitudinem vero duorum cubitorum, decrescit illa spissitudo ut 5. exacte cubitos compleat.

§. 12. Conclavia igitur in hac latentia inferius 6. Cubitos longa & lata erant. Sed supra primam substructionis partem, muro utrinque recedente, supra marginem utrinque relictum, $\frac{1}{2}$ Cub. latum, in fig. 4. punctis notatū, poterant Cistæ aut alia in commoditatem sacerdotū comparari ut pote qui perpetuo offerentiū dona recipiebant, ea deinde Thesaurariis exhibentes. Anterior vero & a tergo Thalamis illis murus præcinctus erat $\frac{1}{2}$ Cub. spissus, & anterior quidem juxta januam etiam fenestellis perforatus erat juxta vers. 16. cap. 40. Hæ fenestræ intus angustiores erant quam exterius. Deinde etiam ex uno thalamo in alterum ingressus patebat, quare in postibus etiam fenestellæ erant. Ex quo satis possit patere quod fenestræ hic per cancellos non possint concipi prout Villalpandus obtinere satagit. Ante fenestras quidem admittere eos possemus sed tum nihilominus fenestræ adessent. Sed parietem universum ex cancellis constantem loco muri & fenestrarum ejus substituere non licebit. Neque video qua ratione מַלְיוֹנוֹת & מַלְיוֹנוֹת Synonyma esse ex Cant. 2. v. 9. ostendere queat, cum exinde putaverim potius apparere disparitatem eorum. Quibus ultimum pondus accedit, quod versu 22. & 25. vestibula fenestris tribuantur, quæ nulla ratione cancellis competunt. Cum e contra exinde putem clarius deduci posse quid sibi velit v. 16. vox מַלְיוֹנוֹת nimirum uti vestibula ante januas latius patent ipsis januis, ita fenestrarum illarū aperturas exterius patuisse, interius vero constrictas fuisse, ut interior apertura januam anterior vestibulum aptissime exprimeret. Obturata igitur & exterius transeuntium directæ visui juxta LXX. κρυπταὶ erant fenestræ hæ.

§. 13. Ex medio thalamo commodus erat aditus ad cryptopor-

toporticus substructionis, pro recondendis oblationibus vini, olei, linteaminum & c. Ex utrinque adjacentibus ostiolum patebat ad cochleares scalas in medijs muris absconditas, lumine sub vestibulo per fenestellas accepto commodas vid. Fig. 4. Interfectionem ubi remoto muro ex una parte quasi in Thalamos & ad scalas introspicimus, unde fenestræ vestibuli tanquam dissectæ a latere apparent. Ex altera enim parte exteriorem aspectum longioris lateris intra portam exprimo, ut eo melius intelligere possim, quæ mox sect. 4. dicenda erunt.

III. De Portarum latitudinibus.

Huc præcipue spectant, v. 11. 12. & 13. cum 14. & 15. ad longitudes pertineant, quamvis, etiam in undecimo aliquid has concernens contineatur. Quoad latitudines 12. versus patebit ex sequenti sect: IV. Itaque restant 11. & 13. uterque difficillinius.

v. 11. ostium \square portæ mensuras subit juxta fontem, juxta LXX. $\thetaύρα τῆς πυλῶνος$ die ihur im thor juxta B. Luth. uno verbo circa ipsam januam mensuras quærendas esse omnes consentiunt interpretes. Jam vero si Scripturam Sacram ad delineationes potius jam conceptas applicare velim, quæ Methodus Villalpandi fuisse non obscure apparet, quæ delineationes demum ex præconfecta (ut ita loquar) illius interpretatione vera deducere; secutus communem hanc interpretum sententiam facillime me expediverim. Nimirum cum facile omnes concessuri sint limen portæ, uti artifices nostri loquuntur, hoc est apertum portæ spatium non hic intelligi, alias porta latius aperta esset, quam ipsum vestibulum: satis speciose dixerò hic latitudinem totius ostii computatis utrinque postibus & superius limine mensurari. Adeo portam aptissime & salva veritate, 8 Cub. in lumine & additis utrinque postibus 1. Cub, 10. Cub. universim latam obtinero. Jam altitudini luminis portæ 16. Cub. tribuerem, postes ejus vero necessario super basi superioris substructionis collocarem. Hæc, uti Architectis demonstrare possum, $1\frac{1}{2}$ Cub. pro altitudine

tudine requirit. Postes ergo elevarentur ex solo Porta, ob mediam substructionem $2\frac{1}{2}$ Cub. & hanc basin, 4. Cubitos. Postes ergo erunt ad summitatem usque ostii 12. Cubitos alti. Addatur limen postibus merito altitudine par, habemus 13. Cubitos tam facile, tam Architecturae tum generali tum praecipue sacrae nostrae convenienter. Sed enim doleo a latitia hac animum non contemnendis scrupulis dejici. 1. Latitudo ostio portae, longitudo ipsi portae tribuitur. 2. numerus 13. videtur plane alienus ab hac descriptione esse quippe imperfectissimus. 3. Per universam descriptionem altitudinem ullam portae alicujus assignari non videbimus, 4. Ordo non admittit, cum jam intra portam mediam versetur, ut ad fores recedamus. Scilicet de veritate hic indipiscenda fere desperaverim. Nihilominus audendum est, ut si erraverim, error mihi ab aliis demonstratus simul veritatem adferat. Spem autem pusillam, aliquam tamen ex numeri expressione mihi ablandiri sentio

§. 14. Dicitur : אָרְבַּע הַשַּׁעַר שְׁלוֹשׁ אַשְׁרֵה אַמּוֹת omnes versiones unanimi consensu legunt tredecim, uti etiam manifeste 13. redduntur eadem ratione Gen. 17. 25. Sed licebit etiam vertere ter decem, uti Ps. 62. 12. אַחַת אַחַת semel & שְׁתַּיִם bis significat. Si hoc, sensum mihi non infeliciter rimatus vtd eor. Nam vox אַחַת quam hic per ostium vertunt, usurpatur etiam, ratione originis suae generaliter pro apertura. Sic Gen. 38. אַחַת אַחַת in apertura duorum fontium. Et Psalmo CXIX. v. 130. אַחַת אַחַת Apertio verborum tuorum. Itaque versus nostrum 11. sic exponerem. Et mensus est latitudinem apertionis vel aperturæ intra portam l. K. 10. Cub. & quoad longitudinē ter ejusmodi decem cubitos. vid. Fig. 4. Hactenus vero nihilominus obscurum est, quid hinc mensuris exprimat. At enim non solum evidens fiet sequenti sectione, sed simul ibi non parum confirmabitur.

§. 15. Quod jam attinet ad versum 13. ille non minus anxium me habebit. Spero tamen post interpretationem facillimum

mum fore sensum. Nimirum portæ latitudinem iterum metitur
 hic S. Architectus יֵאָחַז מִן הַתֵּיבָה אֶת הַתֵּיבָה אֶת הַתֵּיבָה a tecto thalami usque
 ad tectum ejus. Vulg. ἀπὸ τοῦ τοίχου τοῦ θεοῦ, ἐπὶ τὸν τοίχον τοῦ θεοῦ
 B. Luth. vom Dach des Gemachs bis zu des Thores Dach, Chald. a
 tecto thalami usque ad tectum ejus. Arabica vers: Interpres a
 muro thaa unius, usque ad parietem thaa alterius. Primo igitur
 ambiguum hisce est, quid per tectum intelligatur, num tectum
 strictè dictum, num paries. Secundo perdifficile, quonam
 referendum sit pronomem *ejus*. Quod expresse ad portam refert
 beatus Lutherus noster, cum hæc explicatio pronissima sit,
 ad thalamos vero idem referre posse non videatur, quia men-
 sura inter terminos duos interjacet necessario, atque adeo a ter-
 mino ad eundem referri non potest. Quam speciosum vero
 hoc est, tam & hoc in contrarium, quod hac ratione inexpli-
 cabilis sit sensus dicti, nam quia intra portam erant thalami,
 tectum portæ supra eorum tectum ponendum est. Deinde
 tectum portæ quoad latitudinem includit tectum thalami.
 Qua ratione igitur latitudo a tecto thalami, ad portæ tectum
 computabitur? Toti adeo jam laberyntho claudimur, nec ta-
 men ab explicatione desistere fas est. Age igitur recedamus,
 ab ovo rem auspicemur. In porta versamur. Hic latitudo por-
 tæ universa subducenda venit, quod ex capitis hujus v. 21. & 25.
 patet. Restat ut viam commodam qua id fiat dispiciamus. Circa
 thalamos illam esse, ex ipsis dictis nostris patet. Sed ecce, quam
 eleganter totam viam nobis Scriptura Sacra commonstret. Sta-
 tim sequuntur verba פֶּתַח לְפֶתַח אֶת הַתֵּיבָה אֶת הַתֵּיבָה ostio versus ostium, sc.
 circa thalamos latitudinem mensus est. Hic vero a tecto men-
 surandi initium sumere non possumus, quia in solo versamur.
 Imo tectum proprie dictum non habuerunt thalami, sub por-
 tæ tecto vel potius lacunari consistentes, sed suum modo la-
 quear. Aliud adeo quod tegat aut muniat intelligendum
 est, quod licebit, sive primitiva vox sit תֵּבָה s. אֶת הַתֵּיבָה pro tegere de-
 ducta. Parietis itaque quod tegat s. protegat, hoc nomine ve-
 nire apte potest. Mensus est igitur, Architectus ab extremo
 thalami

thalami pariete L., ad parietem ejus M. Si ab ostio ad ostiū mensus fuit a thalami extremo pariete ad oppositi extremum, illud fieri quis dubitet? Sed ille thalamus huic simillimus erat, & quasi idem cum eo. Mensus autem latitudinem hanc 25. cubitos fuit.

§. 16. Primo tectum vel extremum thalami parietem utrinque $\frac{1}{2}$. Cub. thalamum utrinque 6. Cubitos, anteriorem porro parietem $\frac{1}{2}$. Cub. qui extrinsecus membris substructionis ornatus erat, insuper utrinque $\frac{1}{2}$. Cub. projectos, prout hæc supra audivimus, mox satis demonstranda. Hæc omnia simul conficiunt 15. Cubit. Restat mensuranda interior portæ apertura, quæ 10. Cubitos lata proinde erit. En vero jam semel confirmatam latitudinem IK quam paulo ante deducebamus, hæc ipsa sectione. Sufficiant hæc de latitudine, pergimus ad

SECT. IV.

De Architecturæ dispositione
in portis.

Hanc rimabimur ex sequente versu, 14. quem tam speciose Villalpandus ad altitudinem trium simul contignationum distrahit, ut hæctenus adversarium ibi neminem habuerit, præter Celeberrimum Coccejum, qui margines loco frontium s. columnarum adhibet, cæterum vero cum Villalpando in explicando textu hoc extra portam exspatiatur, in quo tamen controversia mihi jam eum Villalpando non potest non intercedere. Quare eo distinctius procedendum erit. Dicitur primo hoc versu אֵלֶּיךָ אֲנִי עָשִׂיתִּי Et fecit frontes. Vulg. Et machet auch Mercket B. Luth. LXX. Interpretes verbalem sensum plane hic relinquunt, quare peculiariter de iis videbimus. Et fecit hic proprie intelligi vix posse credo, quia adveniente Propheta totum exitit ædificium. Igitur licebit interpretari, & confecit s. computavit Frontes. Proprie vocem אֲנִי vertunt arietem vel cancrum, deinde projecturam in ædificio, uti

Coccejus marginem cui insunt columnarum parietum, idem hic loci LXX. Interpretes, & alii postes B. Luth. *Uerker*; quæ vox projecturam quoque grandiore parietis significat, rotunda forma B. Viri tempore in ædificiis Gothica ratione constructi solitam, quales magno numero in templis hodiernis videmus juxta barbaram istam Architecturam extractis. Omnes hæc significationes, columnas intelligi per frontes hic loci, lubenter patiuntur. Neque dubito, hic terminum istum technicum esse, adeoque a vulgari usu, ex fundamento similitudinis alicujus, more Architectis omni tempore familiari ad peculiare Artis instrumentum denotandum adhiberi. Imo eo ipso simul columnarum formam indicari credo, & confirmari, quam iis tribuimus locis quibusdam Libb. Regg. & Paral: permoti. Nam si columnarum nostrarum capitulum ornemus more Corinthiorum, inferius duplici serie palmarum, & superius volutis an non hirsutum arietis caput & in helicem convolutis cornibus præditum, satis apte repræsentabit? Cancrum vero adhuc elegantius columnarum referunt attendentibus. Quid vero porro columna est, quam robur, & postis parietem sustinens, nec aliunde quod sciam *רֹבֵץ* quam ab *רֹבֵץ* robur, facultas, deducitur. Maneant adeo columnarum rotundarum palmis ornatarum, quod tot loca nostrarum Prophetiarum urgent, scilicet capirula & coronamenta palmis & palmarum celaturis decora, quarum formam aliqua ratione ex figura 4. cognoscere licebit. Pergimus igitur ad reliqua, ubi porro legimus *וְשֵׁשׁ־וָאֵזָבֵיבִים* sexaginta cubitos. Hic Villalpandus existimat exterioris parietis altitudinem adstrui. Verum adhuc in porta sumus. Præcedenti versu latitudo ejus tota supputatur. Proxime sequenti Longitudo indicatur. Sequuntur porro fenestrarum descriptiones intra portam. Quæ ratione igitur aut quo jure versum illum medium, misere discurrendo, ad exterius atrium applicemus? sed quomodo intra portam concipere nobis sexaginta illos Columnarum cubitos liceat, videbimus. Nimirum quia latitudo omnis jam exhausta, quia porro de longitudine sermo est, hic ejusmodi quoque suberit fortasse mensura

fura universalis. Ergo aut altitudo, aut longitudo pariter. Sed quis tribuat portæ altitudinem 60. Cubitorum, quæ modo decem lata est? Ponamus igitur juxta longitudinem portæ consistentes columnas, occupare 60. Cubitos. Computus positi veritatem demonstrabit. Hic talis consequitur, vid. Fig. 4. Utrique murus est 6. Cubitos crassus, cui exterius affixæ sunt columnæ dimidiæ, adeo cubitum prodeuntes ex muro, quia totæ columnæ 2. Cubitos spissæ sunt, juxta v. 9. hæc conficiunt una summa 14. Cubitos. Sed mox totam portam 50. Cubitos longam comperiemus; restat igitur interior longitudo 36. Cub. secundum hanc distributi fuere thalami tres, inter quos utrinque ejusdem mensuræ, & eadem distantia columnæ stabant, v. 10. Patet ergo pro inveniendis mediis columnarum, harum, totum interius spatium dividi debere in tres æquales partes, ut distent columnarum axes ab invicem 12. Cubitos. Sic in binis angulis columnæ quartam partem extra parietem conspicientur, quia centrum earum in ipsum angulum cadit. Præter hæc erunt duæ dimidiæ columnæ. Si a centro utrinque columnis suum cubitum tribuamus, restabunt tria spatia 10. Cubitos lata. En ter decem cubitos juxta longitudinem portæ quos superius deduximus, evidentissime comprobatos. Addamus jam columnas vestibulorum. Interius vestibulum, exteriori interioris portæ necessario æquale est, ergo 5. cubitos latum. Hinc subtractis membris a substructione projectis, restant 4½. Hinc incipere vestibuli columna potest, cujus basis in imo ½. Cub. procedit. Si jam cubitum subtraham usque ad axem columnæ hæc distabit a centro columnæ parietinæ exacte 3. Cubitis, quæ distantia interioris quarta pars est.

§. 17. In exteriori vestibulo columna a parietina columna (quoad axes quod semper subtelligendum) non aliter quam 6. Cubitis distare potest. Nam 4. 5. 7. etc: Cubitorum distantiam Architecturæ hujus perfectio respuit; vero non succedunt, quia substructio cui in stant, in minima latitudine 6. Cubitos lata dicitur v. 7. Imo elegantissime hac ratione columnæ duæ vestibuli a parietinis respondentibus utrinque

a se invicem undique æqualiter distant & ita exacte quadrato insistant. Hac ratione porro scalæ intra vestibulum scitissime & iusta symmetria comprehenduntur, uti ex figura patet, ut cum exteriori columnarum linea, ultimus gradus in eadem, linea collocetur. Hinc ab extrema columna parietina ad extremam liberam erunt 6. Cubiti, ad quos pro basi accedit $\frac{1}{2}$ Cubitus, ut totam longitudinem habeamus cui columnæ insistant.

Jam $\frac{1}{2}$ Cub. pro basi.

6. a columna extrema ad parietinam.

1. latitudo vel projectio parietinæ.

6. spissitudo muri.

36. interior portæ longitudo.

6. spissitudo muri interioris,

1. latitudo vel projectio parietinæ.

3. ad extimum columnæ vestibuli.

$\frac{1}{2}$ pro basi.

Summa 60. ab N in O.

Exinde necessaria consequentia deducimus omnes distantias columnarum debere, esse 12. 6. & 3. cubitorum, quod ipsum in designatione tam incredibilem operis universi elegantiam & symmetriam efficit, ut Architecturæ ignaros fascinet, & gnaros læto stupore, extrema cum voluptate compleat. Restant ultima verba textus nostri, omnium difficillima

וְאֵל-אֵלֵי הַחֲצַר הַשְּׁעָר סָבִיב סָבִיב

Montanus Et ad postem atrii portæ circum Vulg. Et ad frontem atrium portæ undique per circuitum.

B. Luth. Et ad quemlibet frontem atrium ad postem undiq;

Chald. Et super frontem atrii portæ per circuitum.

Videtur hic omnis difficultas dependere a voce atrii. Nam, proprie hic atrium non significari posse, locum scilicet subdalem parietibus cinctum, nemo, non fatebitur, præsertim si consideret, hæc atria intra portam esse. Ille locus igitur qui voce hac denotatur aut ab ambiendo, unde plurimis nomen

atrii

atrii Hebraicum derivatur, aut a spatio libero & patente dicitur, aut ab utroque simul. Porro hæc loca, quia ad frontes sunt, nec intra portam totam alius quoque locus suppetit, necessario super thalamos inter duas quasvis columnas constituenda erunt, ea quidem magnitudine, ut ab his & muri spissitudine comprehendi queant. Jam mihi dum ab aliis locus ejusmodi pingatur, certe aliquid interea dicere fas erit. Nimirum terminum hic quoque technicum subolefacere video. Si vero licet Architectis nostris aperturam grandem aut portam arcum absolute appellare, tantum quia superius arcuata est, quis durum conceptum esse dixerit, si ejusmodi arcus P. Q. R. hic loci sub voce atrii latere diviner. Equidem commotius aliud quid vix posse hic concipi persuasus sum. Portæ hæc forent 8. cubitos latæ, 16. altæ 6½ profunda. Satis spatiosa igitur & aperta. Sed nec foribus clausæ sunt adeoque liberi accessus & liberi acsereni quasi aeris. Si □ □ □ Levit. 25. 39. & Jes. 42. 11. suburbia denotant, hæc quoque postæ undique majoris portæ quasi suburbia apte referunt. Denique si a □ ambire derivatur □ an durior applicatio ad ejusmodi arcum quam ad atrium erit? Collectim sane sumpta hæc argumenta aliquid spero evincere poterunt. Cæterum eo magis confirmor in hac sententia, quando video ab Architectura hic omnino ejusmodi arcus svaderi, ac portis etiam mirum quantum magnificentiæ & splendoris ab iisdem adferri.

§ 18. Hæc sufficiant pro explicatione versus hujus, qui tam male habuisse LXX. Interpretes videtur, Villalpandum vero revera male habuit. Illi versum nostrum ita exprimunt, *καὶ τὸ ἄθρον τῆ ἀλάμ τῆς πύλης ἕξωθεν πῆχεις εἰκοσι θεῖμ τῆς πύλης κύκλῳ.* Quæ verba codex Sixtianus vertit. *Et sub divo Alamporia extrinsecus cubiis viginti Theimporia per circuitum.* Quæ ipsa versio originali adhuc multo obscurior textu est, quamque ita enunciem. Et (scil. dimensus est, quod verbum in priori versu antecedens, alio hic non præsentem, huc referri jure videtur) *atrium postis s. columna porta extrinsecus (vel postis portæ extrinsecus) cubitos viginti in circuitu thalavorum portæ*

Sed unde viginti illis nascantur cubiti nondum video, nec qua ratione ad sensum nostri dicti hæc verba quadrare possint: ea sic quidem impune licebit præterire.

§. 19. Villalpandi explicatio huc redit. *Et dimetiendo declaravit columnationes s. ordines columnarum omnes simul alios esse cubitos sexaginta: & par erat mensura columnarum ordinibus, qui cingebant atrium portæ proximum undique per circuitum.*

Quod primam partem attinet, ex hæcenus dictis satis clarum est, quod inter medias portæ mensuras hunc sacro Architecto discursum affingere non liceat, qui plane rem alienam neque huc spectantem continet, quandoquidem aliam rationem non adducit, cur locum de altitudine explicet, quam Rabbinorum consensum, & quia alius locus cui hæc mensura conveniat adduci non possit. Quod alteram partem concernit, ejus explicatio plane inexpectata venit, neque alio robore quam Rabbinorum & Vatabli auctoritate munitur. Vatablus enim cit. Villalp. p. 197. *pro Et ad frontem, legit qui modus erat unicuique frontium.* Villalpandus v. *Et par erat mensura frontium.* Quæ ulterius examinanda ad benevolum lectorem transmittito, quia nobis nihil quicquam hæc omnia officere possunt.

V. De Portarum universa longitudine.

Eam totā una cum vestibulis invenimus 60. Cubitorum. Si jam $6\frac{1}{2}$. Cubitos anterioris vestibuli & $3\frac{1}{2}$. cubitos interioris subtrahamus, relinquntur pro reliqua portæ longitudine 50. Cubiti, quæ eadem illa mensura est, ab iisdemque petita terminis, quæ versu cap. nostri 15. exprimitur. Initium enim dimensionis est על פני היארון השער ad faciem introitus portæ, id est statim extrinsecus ante portam ab initio liminis, quod cum columnæ parietinæ extremo in eadem jacuit recta linea, adeoque a fine interiori vestibuli exterioris. Terminus mensurationis ad quem est על פני אלם השער היארימ juxta ad faciem vestibuli portæ intimi.

§. 20. Hæc de portis exterioribus paulo prolixius agere oportuit, cum multarum aliarum rerum faciliior intellectio hinc pendeat. Progredior itaque ad.


CAP. IV.

De Atriis Exterioribus tribus.

§. I.

Posteaquam inspeximus portas, pergentes per eas provenimus
 exterius in Atria splendidissima, singula ante singulas portas
 sibimet invicem quam simillima, strataque pavimento procul
 dubio pretioso elegantissimoque. Tota hæc undique ædifi-
 ciis cincta erant, æqualem cum porta profunditatem nempe
 50. Cubitorum fortita, cæterum hac ratione constructa: Primo
 substructio undique cava erat Cellariis & crypto porticibus ad-
 structa, quibus lumen extrinsecus per fenestras ordinarium
 adveniebat & copiosum. Nam ejusmodi receptaculis opus
 erat ad reditûs templi reservandos, qui humidum cellarum
 subterrestrium non sustinebant; qualia sunt materies pro vesti-
 mentis, velis, & tapetibus. Sub his procul dubio aliæ erant,
 profundiores cellæ vino v. g. recondendo aptæ. Hac ratione
 super hac substructione erat solum ædificiorum elatius
 portarum solo. Ad quod utrinque supra thalamos prodiens
 pertingebat. Solum hoc, procul dubio solidissimis fornicibus
 incumbens, pavimento poterat stratam esse, quo super por-
 ticus magnifici & spatiosi utrinque extabant pro recipiendo
 populo præsertim festorum tempore eo confluxuro. Juxta
 portas ejusmodi quoque porticus ponit Villalpandus. Quoni-
 am vero inferiora sanctis usibus destinata procul dubio etiam
 pluribus conclavibus opus habuere & juxta interiores portas,
 ubi pariter porticus concipit laudatus Auctor, ipsa S. Scriptura
 testante conclavia fuerint, malumus nimiis porticibus super-
 sedere & juxta portas quoque exteriores conclavia dispo-
 nere. Illud vero ita fiet, ut semper inter duas columnas con-
 clave unum consistat, una quoque sed spatiosa fenestra illu-
 minandum, ut ex hoc ipso fundamento in ipso statim atrio pos-
 sint numerari. Age igitur computemus inter columnia, adeo-
 que conclavia nostra. Undique, prout mox ostenden-
 dum est, longa erant ædificia 100. cubitos. Supra demon-

stravimus columnas quoad centra seu media sua s. axes, aut 3. aut 6. aut 12. Cub. distare debere. Priora bina quidem apta conclavibus non sunt, ultimam ergo distantiam eligamus, jam dividentes 100. per 12. proveniunt inter columnia 8. 4. Cubitis remanentibus. Hoc quidem commodissimè, nam ultima utrinque columna totum pro se spatium possit ut a proxima angulari columna 3. cubitos distet. Habebimus itaque undique 32. Inter columnia. At enim vero hac ratione in medio ædificiorum B columna erit, utrinque intercolumniis adjacentibus



Quid hac ratione de portis fiet, quibus mediis columna obstat. Age vero remedium huic rei suppetet. Eximamus Inter columnium B C, & alterum B A. promoveamus ut medium obineat, dimidiumque utrinque intercolumnium relinquat. Bene res agitur, diviso intercolumnio A B. restituta res in integrum erit. Porta in medio aperietur, muri ejus cui thalami subsistunt 6². Cub. crassi ad angulos columnis firmabuntur quorum centra 6. Cub. distant. Hac vero ratione, amissimus Cubiculum in exterioris portæ, aliud in interioris quoque portæ ædificio. Hoc vero est quod volebam, nimirum 30. tantum cubicula restabant juxta vers. 17. adeoque omnia quæ hactenus Architecturæ necessariis regulis ita ducentibus, composui, felicissime cum s. literarum præscriptione conveniunt, licet, neque hisce ad illius, neque illis ad hujus principia cum vi aliqua aut resistantia deducendis opus fuerit.

Nam atrium erat juxta v. 19. *קרפתי השרע* a juxta faciem porte adeoque accuratissime incipiendo ubi porta exterior, s. oblitum depressiorem inferior intra vestibulum aut portæ ædificium finitur. *וְהָיָה לְפָנָי וְהָיָה הַפְּתִיחַ כְּחַוֵּץ* Usque ad faciem atrii intimi extrinsecus, id est ad exteriorem parietem ædificii, quod intimum atrium ambiebat, nam in illud ædificium jam nondum ingressus erat S. Architectus, etiam ædificium cum atrio simul

mulres diversissimas uni mensuræ non *subacturus* (ubi obiter notetur contra Villalpandum quod hæc ædificia ad atrium exterius non pertineant, uti p. 228. prope finem existimat) adeoque metiendo ad occidentem, 100. Cubitos longum, uti etiam metiendo contra Aquilonem. **וְהָיָה אֹרֶז** forte à **אֶרֶז** dicitur quia mare quasi tegebatur Hyerofolymis per montes Ephraim versus hanc plagam, uti etiam ab Italis tramontana dicitur. LXX. hanc vocē penitus omiserunt. Neq; possum accedere ad celeb. Cocceji sententiam qui & ad Aquilonem de porta aquilonari dictum putat. Nam primo separatim omnes plagas dimetitur studio S. Architectus. Deinde nec admonitione hac, hic loci penitus inexpectata, opus erat, nam peculiariter portæ meridionalis atrium etiam dimetitur, & deinde dicitur ad Septentrionem pares mensuras mensum fuisse; uti etiam ex ipsa Symmetria, sic ut multa alia quæ ideo tacentur, satis patet. Exacte igitur quadratum erat atrium, 100. quippe cubitos longum & latum. versu 18. dicitur :
וְהָיָה אֹרֶז לְעֵצֵי הַשָּׁעֵרִים אֶרֶז אֶל-וְהָיָה אֹרֶז הַשָּׁעֵרִים אֶרֶז לְעֵצֵי הַשָּׁעֵרִים אֶרֶז אֶל-וְהָיָה אֹרֶז הַשָּׁעֵרִים אֶרֶז לְעֵצֵי הַשָּׁעֵרִים אֶרֶז אֶל-

Lat. vulgat: Et pavementum in fronte portarum, secundum longitudinem portarum erat inferius.

LXX. *Καὶ αἱ σοαὶ κατὰ νότον τῶν πυλῶν, κατὰ τὸ μῆκος τῶν πυλῶν, τὸ περίσυκον ὑποκάτω.*

B. Luth. Und es war das höher Pflaster an den thoren / so lang die thore waren / an den niedrigen Pflaster.

Chald. Et pavementum in latere portarum secundum longitudinem portarum, pavementum inferius.

Primo hæc ipsa verba eo me redegerunt, ut per pavementum intelligerem solum cellariorum substructionis, hac enim ratione poteram dicere, juxta fontem & plurimas versiones *Et pavementum ad latus portarum juxta longitudinem portarum sc. pavementum inferius vel depressius.* Postea vero repetitionem vocis pavementi præcipue in stylo brevitatis adeo studiosissimo, ita in cassum non positam esse cogitabam. Cum τῶ erat enim constructa verba eundem sensum, sive repetatur vox f.

minus, habebant. Quod satis certum me reddebat, aliud verbum hic subintelligi debere, & simul vestigia latere, unde illud præ aliis cognosci queat. Itaque diu pensitata re non probabilior potui sententiam offendere, quam hic thalamorum dispositionis, ultimam latere descriptionem. Nam pro spatio eorum tam exili intra portam adeo altam, proportionata altitudo adsignanda est. Jam vero nullibi ferme altitudines expresse intima Spiritus S. Ubique tamen circumstantias implicatas observes, ubi attentus fueris, ut vel ex Symmetria vel proportione, vel juxta positionem aliarum rerum eas concludere possis. De thalorum vero altitudine nullibi neque volam neque vestigium reperiatur, nisi hic aliquid delitefcatur. Imo vero subintelligamus modo in versu nostro, *attingebat*, & acta res erit. Nam si pavementum a latere pavementum portarum attingere debeat, necessario illud fiet, intra spatium lateralis ipsius pavimenti thalamos includendo. Quia vero pavementum portæ inferius est, ne rescentur thalami, supra illos prodibit laterale pavementum, ut portæ pavementum attingat. Sed porro pavementum necessario erit æquale altitudine supremæ substructionis supremæ partium cymatiis ornata, quam architecti coronidem vocant, quod hi ipsi sine probatione agnoscent. Si enim ea altius esset, columnæ secarentur. Si depressius, Stylobatæ. Patet igitur quod supra diximus, solum ædificiorum circumjacentium supra substructionem fuisse: patet altitudinem thalorum in figura expressam recte se habere, quod eo ipso confirmatur, quod hac ratione thalami 6. Cub. alti exacte fiant, cubicam adeo formam obtinere apti: patet denique ædificia illa profunda fuisse 50 cubitos, quoniam dicitur juxta longitudinem portarum. Ita denique cum fonte etiam omnes versiones & nobiscum consentiunt, ne exceptis LXX. Interpretibus, licet mox voce *ἑοῦ* mox *περὶ ἑὸν* designent, quod reliqui pavementum dicunt. Nam re ipsa tamen nobiscum consentiunt, imo maxime omnium convenirent, si de interpretationis veritate certi essemus.

§. 24. In Atriis hifce verſus Meridiem & Aquilonem, ante portas interiores utrinque duas menſas lapideas holocauſticas, & in eorundem angulis quaternas populi culinas adſtruimus, de quo inferius loquendi peculiaris & commodior occaſio erit.

CAP. V.

De Portis Interioribus,

§. I.

Exterioribus portis trans atria rectâ interioribus reſpondebant tres aliæ portæ, ipſis, adeoque ſibiſmet invicem ſin. illimæ, niſi quod exterius tantum veſtibula habuerunt, ad quæ gradibus 8. ad ſenſus erat, non ab iisdem tectis, ſed ante ipſa conſtitutis. vid. Fig. 3. Anterius veſtibula hæc aperta erant, ſed extimæ, eorum columnæ, commodius hic loci quadratæ, muro connectebantur a latere cum pariete. Inter binas columnas laterales utrinque, conſiſtebat menſa holocauſtorum, & alia ad utrumque oſtii latus erat, ſec. verſum 39. cap. 40. Et infra juxta ſcalas utrinque in ipſo atrio binæ ejusmodi menſæ ſtabant. Uti vero undique in ſubſtructione, prout ante monui fenestræ erant cellaria illuſtrantes, ita duæ proximæ earum juxta veſtibulum mutatæ erant in oſtia, ut extrinſecus ſtatim ex atriis accessus ad duo cellaria pateret juxta v. 38. pro lavandis aut recondendis holocauſtis. Hæc vero tantum videntur ad Portas meridionalem & ſeptentrionalem fuiſſe. Intra portam omnia ſe habebant uti in exterioribus, niſi quod ſolo adhuc $2 \frac{1}{2}$ cubitis altius elevato, ſola ſuprema & ornatior ſubſtructio interioribus extaret, & thalami adeo 5. cub. in univerſum, & intrieſcus 4. alti evaderent, iterum eleganti proportione.

§. 2. Extra portas in lateralibus & elatioribus pavementis varia conclavia erant, quorum omnium, diſpoſitionem & menſuras noverimus, ſi conſtet cap. 42. de hoc loco ſermonem haberi; quod Villalpandus quidem negat, nos vero manifeſte probabimus.

§. 3.

§. 3. Educitur igitur Propheta. *וְיָצֵאתָ מִן הַיָּם אֶל הַיָּם* *viam aquilonis*, hoc est viam aliquam versus aquilonē *אֶל הַיָּם הַיָּבֵשׁ הַזֶּה* ad. sive ob contextum potius versus atrium exterius, ad ædificium aliquod, cuius unum latus erat *בְּנֵי הַיָּם* *versus vel coram separato*, alterum *אֶל הַיָּם הַיָּבֵשׁ* *coram edificio ad Aquilonem*, hoc est corā edificio ad aquilonem tendente jam descripto; quia absolute ponitur, adeoq; Portæ aquilonaris. tertium vero vers9 atrium interius, quarū versus pavementum atrii interioris, hoc est versus porticū ejus juxta v. 3. c. 42. Ædificium vero cui hæc omnia competunt. præter turrem *חֹמֶת* nūllum neq; apud Villalpandum neq; in mea designatione reperio. Ibi mentionem facit spatii, quod fuerit latum 50 Cubitos & longum 100 Cubitos *בְּתַח הַיָּם*, Vulg. ostii Aquilonis LXX. tantum *πρὸς βεppᾶν* ad Aquilonem. Chald. e regione longitudinis erat porta una quæ patebat ad Aquilonem. B. Lutherus inde ab ostio Aquilonis, quæ versionum differentia satis earundem prodit incertitudinem. Sed interpretationem versus 7. cum 8. ejusd. cap. suppeditabit, ubi dicitur murum hujus spatii fuisse 50. cubitos versus atrium exterius longum, sed 100. versus interius. Dicam igitur quid hic sentiam, deinde ulterius de demonstratione sollicitus ero. In nullo loco totius prophetiæ nostræ inueniemus locum, ubi designetur, templi ipsius locus. Porro definita quidem per atrium Meridionale fuit longitudo atrii ab una porta ad alteram, non vero latitudo uti fiebat in atrio orientali. A quo tamen necessario ad Septentrionale concludere non possumus, quia si modo conveniant Meridionale & Septentrionale, diversa licet ab orientali, nihilominus ædificio constare posset Symmetria. Videtur ergo Sanctus Architectus brevissimis hæc dictis ab initio cap. ad v. usque 9. definire primo locum templi 2. Atriorū exteriorū Meridionalis & Septentrionalis latitudinem. 3. conclavium multitudinem, magnitudinem & dispositionem. 4. Ædificiorum altitudinem, & hæc quidem omnia si situm & longitudinem latitudinemque spatii *2 c. 3. 2.* definiat. Hoc spatium versus atrium interius ab ostio Aquilonis 100, versus
exterius

exterius 50. cubitos patet. Erit ergo totum atrium exterius 100 latum & interius 150 cubitos longum. Quare satis causæ habeo cur legam cum B. Luthero nostro in vers. 2. ab ostio Aquilonis. Hoc vero si admittatur omnia facillima erunt, cum secus omnia, si non inexplicabilia, obscurissima tamen sint. Sed unum alterumque prius explicandum restat, v. g. Quomodo dicitur murus ille versus atrium exterius longus fuisse 50. Cubitos, vers. 7. quia cubacula eo vergentia etiam fuerint longa 50. cubitos v. 8. At enim hoc qui cum iis consistere possit, quæ hactenus tam evidentia nec facile iterum removenda, diximus. Nam si cubacula juxta parietem hunc 50 Cub. longa steterunt, ultimus eorum paries super portam medius consistet, contra Architecturæ quidem vel primas regulas. Sed hic observo, quod si cubaculorum longitudo hac ratione intelligenda esset, particula causalis, quia, nihil adeo magni momenti intenderet, quam alias verba etiam singula hujus Prophetiæ consueverunt. Major emphasis quærenda hic est. Nimirum definita alias nullibi ædificiorum altitudo est, nec vestigium unde elicipossit. Quid si hic indicaretur, & diceretur, quia cubacula alta sunt 50. cubitos, quia etiam area cui insistentur æque lata, sed dupliciter longa, ergo murus etiam dimidius erit altitudinis æqualis, ut adeo ædificia hæc, quasi corpora regularissima & rationibus huic ædificio propriis convenientissima essent, duobus quasi cubis constantia uti area eorum duobus quadratis. Qua ratione etiam turres infra tectum perfectos cubos exhiberent, 50 Cubitos nempe, alta, longa & lata. Ut nihil dicam hinc omnem Symmetriam, & pulcherrimas templi stricte dicti mensuras proventuras esse.

§. 4. Porro versus tertius cap. 42. obscurus etiam, non parum est נָגַד הָעֶשְׂרִים אֲשֶׁר לְחֵצֵר הַפְּנִימִי וְנָגַד הַחֵיצוֹנָה אֲשֶׁר לְחֵצֵר הַחֵיצוֹנָה Vulgata; contra viginti cubitos atrii interioris, & contra pavementum stratum lapide atrii exterioris.

LXX. Διαγεγραμμένα ὄν τρόπον ἀπὸ πύλαι τῆς ἐσωτέρας καὶ ὄν τρόπον τὰ περίσυλα τῆς αὐλῆς τῆς ἐξωτερῆρας.

Chald. e regione viginti cubitorum atrii interioris & e regione Aquilonis pavimenti illius, quod apertum erat ad atrium exterius. B. Lutherus. Viginri cubiti erant versus interius atrium, & contra atrium exterius. Quoad verba, Vulgata cum Chaldæo Interprete proxime accedit Fonti, sed qui sensus sit verbis primo intuitu tam in explicabilibus, ulterius dispiciendum.

§. 5. Quia versus hic verbo caret, necessario igitur alio referendus erit, inprimis cum plura verba in eo alias subintelligenda veniant. In versu autē primo duo verba offendimus, *ducebat & erat*. Ad posterius si referatur facillima esset explicatio, sed B. Luthero adversa. Atamen neque jure eo referri potest, quia interponitur versus secundus, qui satis adeo indicat, jam recensitas esse plagas, contra quas spectaverit ædificium illud. Referamus ergo ad verbum *ducebat*, ut sensus sit, & duxit me in gazophylacium &c. & versus viginti cubitos: qua ratione versus noster legeretur, Et duxit versus viginti vel vicenos cubitos, qui atrium interius, & versus pavementum spectabant quod Atrio exteriori adjacebat. Nam certe viginti cubitos ipsi atrio interiori, qua ratione tribuere queamus non video, cum locus iis de terminandus esset, peculiariter aliquid constituens & ad sacros usus spectans, adeoq; memoratu juxta stylū Prophetiæ dignus. Licet autem ejusmodi locus suppeteret, sensus tamen dicto ob commodi verbi absentiam nondum constaret. Multo minus ulla via appareret sequentia verba & ultima ejusdem versus interpretandi, quæ pro nostra explicatione haud difficulter intelligemus. Ea sunt.

חֲתִיק אֶל-פִּנֵּי חֲתִיק בְּשָׁלְשִׁים:

Vulgata: ubi erat porticus juncta porticui triplici.

LXX. ἐσοιχισμένα ἀντοιπερῶσσοι σοὰ τρισσά.

B. Lutherus. Et 30. Cubiti ab angulo ad angulum.

Cocejus. *Atik versus Atik (postis contra postem) in tribus regionibus s. ordinibus.*

Chald. *Anguli contra angulos triplices.* Nimirum conclavia hic describi sequentes statim versus definiunt, quæ in ædificio 50. Cubitos lato vel profundo disposita erant. Igitur primo supponendus hic murus utrinque est, Intra illos porro conclavia erant duplici serie, altera versus atrium interius, altera versus exterius spectante, quæ inter se ambulacrum necessario relinquunt, uti sequens quoque versus confirmat. Cum vero illa conclavia super lateralalia pavimenta portæ aquilonaris consistant, prout ostendimus, ut ambulacra illa lucem habeant in crucis formam disponenda veniunt, in quatuor angulis clausis conclavibus. vid. Fig. 3. Ibi versus omnia latera jam poterimus mensurare tribus vicibus ab angulo ad angulum. Huc vero spectare videtur textus noster hunc sensum obtenturus, ubi erat angulus ad angulum in tertiis partibus, quo ipso simul indicarentur terna illa spatia, concinne simul ostenso, quod omnia spatia illa inter ternos illos angulos undique æqualia sint, quæ omnia deinde, ubi Architectonice rem considerabimus clarissime patebunt. Explicandus adhuc unicus antea locus erit. Quando versus quarto dicitur, Et ad facies cubiculorum deambulatorium decem cubitorum latitudinis.

אל-הפנימית דרך אמה אחת

Vulg. ad interiora respiciens viæ cubiti unius LXX. *ἐπι πύχνης ἑκατὸν τὸ μῆκος.* Jam vero, vulgata ad interiora putans de ambulatorio dici, sensu nullo exprimi potest, nec quid ambulatorium decem cubitos latum, & viæ tamen s. viam habens cubiti unius sit, quis explicabit. LXX. Interpretes verum quidem de ambulatorio dicunt, sed nescio an illud hoc loco exprimat.

Celeb. Coccejus vertit, via cubiti unius scilicet erat, ad gazophylacia præter ambulacrum scilicet per illud spatium, quod inter ambulatorium & gazophylacium sub ostio erat, quod apprime ad nostram sententiam est, nisi quod hoc ipsum ex textu ipso non pateat, sed per explicationem demum deducendum sit. Quare ut sensus ex ipsius versus lectione pateat, cum ita legerem Et ad facies cubiculorum erat 1. deambulatorium

rium decem cubitorum latitudinis. 2. ad interius viæ 50. utrinque ad viam versus interius, cubitus unus. 3. denique ostia quæ patebant versus aquilonem.

§. 6. Jam describam conclavia hæc ubi juxta architecturam construenda hic loci necessario venirent, sine respectu ullo ad hæcenus dicta. Nimirum patet, quod muri exteriores ædificiorum sint spissi 6 Cubitos. Hisce si adnumeremus interiorem & exteriorem columnam proveniunt utrinque 8. Cub. simul 16. ut a tota latitudine ædificii remaneant 34. Cub. jam si porro duas medias columnas subtrahamus, quæ uti in portis ita undique per totum ædificium & porticus omnes numerandæ sunt necessario, restant 30. Cubiti. Porro in pavimentis nostris lateralibus juxta portas liberæ ejusmodi columnæ 4. proveniunt, reliquis omnibus ad parietem consistentibus. Omnes autem columnas hasce faciamus quadratas & medias undique duas cum quatuor liberis exterius connectamus muro cubium spisso, proveniet inde ambulacrum cruciforme 10. Cubitos latum. Cubicula erant 12. Cub. quidem lata, sed in angulis prominent pilæ vel columnæ quadratæ, quas omitti omnino impossibile esset. In iisdem ergo ab angulo ad angulum erant, 10. Cub. Ergo angulus hic ad angulum est, ubicunque & versus quamcumque plagam metiaris, in tertiis partibus & quidem æqualibus, porro si connumeremus omnes conclavium mensuras erit paries 1. Cub. conclav. 12. Cub. murus exterior 6. C. denique columna exterior 1. Cub. summa 20. Cubiti utrinque.

§. 7. Sunt adeo nobis 20. Cub. qui respiciunt atrium interius, & alii qui respiciunt versus pavementum atrii exterioris. Quicunque vero ad cubicula hæc per turrem prope templum, ingreditur, procedit versus viginti, qui atrium interius & versus pavementum quod atrio exteriori, Quo ipso uti nihil distinctius esse queat, ita nihil quoque demonstrationi ipsi ad summam certitudinem deesse spero, tam apte consentientibus duobus principis nostris S. nempe Scriptura, & Architectura Civili.

§. 8. Ejusmodi quatuor conclavia utrinque juxta Portas
inte-

interiores tres erant super pavimenta lateralia, uti patet ex v. 10. & 12. Conclavia autem ejusmodi distributa erant per tres contignationes, quoniamque duæ inferiores altæ tatis sunt, ibi duplicia existebant, ut supra inferiores starent aliæ sed humiliores v. 5. 6. cap. 43. Architecturam quidem commodissime hac ratione componeremus, primo conclave altum 12. Cub. Interstitium 1. Cubiculum 108. & interstitium 2. pro infima contignatione. Porro conclave 8. C. interstit. 1. Cubiculum 5. Intersti. pro media contignatione. Deniq; 8. C. Concl. & Interst. 2. cub. summa 58. Cub.

§. 8. Restarent de Villalpandi dispositione, dicenda, quæ omnino maxime coacta est. Sed quia hætenus jam valde prolixi fuimus, relinquemus illa præjudiciis libero Lectori judicanda, cum præcipue quæ hic dicenda forent, sine Villalpandi figuris intelligenda vix essent, quæ tamen paucis conspiciuntur. Præterea nobis contra eundem agendum satis prolixè capite sequenti erit.

CAP. VI.

De Culinis Populi.

§. I.

DEscribuntur hæ cap. 46. v. 21. ad fin. Ante omnia autem hic Villalpandi conceptus inspicere opus erit, antequam proprios exponam.

Latina vulgata quam ipse potissimum sequitur, ita de iis: v. 21. *Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrii, & ecce atrialum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii.*

§. 2. Hic Villalpandus primo atrii exterioris nomen in laxiori significatu vertit, quam hætenus Prophetæ usurpatum fuerat, ut significet complexum omnium atriorum Israël. Quod quidem æquo audacius mihi videtur. Nam ipse alias optaverim veram & indubiam esse explicationem hanc Villalpandi. Etenim quatuor atria angularia nostra evidentè demonstrata haberemus, quæ mox deducenda prolixè & tantum

dialectice erunt. Sed nolim nisi prægnanti ratione munitus pro lubitu meo verbis S. Scripturæ significatus imponere. Jam vero ulterius per quatuor angulos atrii intelligit hæc ipsa quatuor Atria angularia, a, c. i. l. P. r. & y, ß. Atriola vero non concipit instar spatiorum subdialium, sed inter cryptoporticus subterraneos & quidem infra turres angulares, ita ut fenestris extrinsecus ab utroque latere ex atrio mulierum accipiant lumen. Ubi tamen notandum, quod vox אֲרִיּוֹת hic iterum usurpetur, ut diminutive sumi vocabulum tantum ex contextu pateat.

Illa vero in tota S. Scriptura cæterum loca tantum subdialia notat, & ab omnibus quos sciam interpretibus sic explicatur. Quare Villalpandus etiam parum circa explicationem hujus vocis moratur, & tantum obscurissima quædam in medium profert, quæ tamen, si attente inspiciamus parum ad rem facere videntur.

§. 3. Hæc atriola autem vers. 24. vocantur *domus culinatum*, in qua coquant ministri domus Domini victimas populi. Jam Lector Benevolus consideret Villalpandi Culinas, quæ primum tam remotæ sunt a mensis holocaustorum, ad quas tamen extra dubium pertinent, deinde fumum, qui propter victimarum multitudinem plurimus futurus erat, per fenestras, ipso Villalpando confitente emittunt versus atrium mulierum, ut non possit non candidissimus murus hinc nigris striis exlonginquo etiam cernendis miserrime defœdari ad ludibrium gentium si eo usque accessus ipsis fuerit, & ad Dei Architecti manifestam contumeliam, cui tanta imperfectio tam confidenter tribuitur Sed nititur adhuc Villalpandus in versu 23. ubi dicitur. Et paries per circuitum ambiens quatuor atriola, & culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum.

§. 4. Primo autem vox culinæ non illa ipsa atriola significat, alias non demum versu sequenti explicarentur, quod sint culinæ, siquidem hoc versu jam dictum id esset. Significant itaque potius focos cum omnibus ad coquendum pertinentibus instrumentis, quæ culinæ nomine facile venire queant. Quod vero dicatur subter porticus, neque illud probat,

probat, quod Villalpandus vult. Si enim maxime vox porticum notans in fonte existeret, subter aliquid tamen esse diceretur illud etiam quod inferius existit juxta aliquid altius. Si igitur Villalpandus prout supra ostendimus, ab ipsa Scriptura S. eas præscribi, porticus suas *elevasset*, explicatio pro atriolis hic in promptu fuisset. Sed ne quidem dicitur subter porticus, sed quæ vox ab initio versus pro denotando pariete usurpatur hic repetitur, nempe טוּר quæ vox per ordinem vel seriem explicatur, adeoque proprie porticum non significat, & melius hic contextu id jubente per parietem exprimitur. Subter parietem vero proprie culinæ esse non poterant, sed solum humiliores juxta illum existere. Imo si fœminina vox טוּרָה quæ proprie hic usurpatur, diversa ab illa masculina esse debeat, eo facilius obtinebimus, quia hæc ipsa vox penitus parietem exprimit; Idemque in fonte dicitur אֲתֵּרָה ab infra, sive infra, ad, quod accuratissime id quod volo exprimit.

§. 5. Adeoque satis constare puto, de Villalpandi sententia, & quam parum illa S. Scripturæ & ibi delineato ædificio competat. Malo igitur in atrio exteriori inter portas septentrionales sito permanere. In eo ad quatuor angulos (vid. Fig. 3.) seligo spatia versus meridiem 40. & versus Orientem 30. cubitos lata, & muro, substructionem tum forma, tum mensuris referente, cingo. Adeoque habeo quatuor Atriola, in atriis quatuor angulis juxta v. 21. mensuras juxta v. 22. habentia, quæ murus ambit per circuitum juxta v. 23. Hæc intrare jubetur Propheta, quia exterius introspicere 7. cub. altus paries vetat, qui ibi infra ad muros invenit fabricatos focos, singulos suo apparatu instructos, ut culinarum nomine venire possint v. 24. Hæc igitur atriola dicuntur domus coquentium, cum modissime quidem cum fumum in liberum aerem dimittant parum incommodi allaturum parietibus, & mensis holocausticis adstant quam proxime, superius vero totum atrium liberum, & inferius spatiosissima ambulacra & elegantissima proportione instructa relinquunt; nam ambulacrū ab una porta ad alteram
latum

latum remanet 40. Cubitos, ut porta cum vestibulis & ostiis etiã quæ juxta ea ad cellaria ducunt, conspici intra illud possit.

CAP. VII.

De Atrio Interiori.

§. I.

In medio igitur omnium horum ædificiorum ante templum extendebatur interius atrium quod satis demonstravimus versus occidentem ab oriente esse longum 150. cubitos. Dicitur autem cap. 40. v. 47. Atrium esse quadratum & 100. Cub. tam longum quam latum. Ex quo apparet, quod atrium peribolo aliquo distinctum fuerit, ut pars reliqua versus occidentem 50. cubitos longa, & 100. lata sejungeretur pro templo. Ille ipse enim locus adhuc sanctior videtur esse ipso altero atrio, & ibi adorasse sacerdotes inter altare & templum. Hæc omnia adeo clara sunt. Porro autem in hisce atrii disponenda veniebant vasa sancta, quæ procul dubio adfuerunt, licet eorum nulla fiat mentio. Imo ipsa Salomonici templi vasa exactissime huc quadrant. Sic e.g. in atrio hoc circumfingimus fuisse pilas quadratas, tribus ordinibus columnarum in Atriis exterioribus æqualem altitudinem, & latitudinem 4. cubitorum habentes. Hæ subsistunt super substruccionem superiorem, quæ sola in hoc atrio eminet 5. cubitos alta. Jam si consideramus sedilia ahenorum ænea; illa erant 4. cubitos lata undique & tres cub. alta. Atenim ahena procul dubio erant hemisphærica, adeoque 4. Cub. quoque lata, & 2. alta; adeoque hæc tota sedilia pilis latitudine, & altitudine exacte substruccioni correspondent. Sic etiam mare ahenum fuit altum 5. Cub. Ergo sedilia ejusmodi decem si disponamus in atrio ante templum, tot accurate ibi pilas offendimus quibus apponi inferius juxta substruccionem queunt, quot ipsa numero sunt; quod omnino miror. Mare æneum vero pono in angulo, quem peribolus cum meridionali ædificio facit. Omnia ex 2. Paralip. c. 4. Quid in reliquo angulo fuerit non constat; quamvis non dubitem ibi etiam ob Symmetriam aliquid mari æneo simile adfuisse. Villalpandus ibi ponit
Plu-

Pluteum ligneum, Musach Sabbathi dictum, quem tamen ob materiam ibidem collocare non audeo. In medio hujus atrii sanctioris extat altare æneum, quod hic 16. cubitis tantum describitur, cum in primo templo definiatur 20. Cub. latitudine. Sed quia hic fossæ necessario circumdantis nulla mentio fit, ideo etiam puto hic 20. cubitos latum fieri debere. Quæ ratione cum utrinque atrio remaneant 15. cubiti, illi apti erunt ad 15. gradus ante Templum & 30. ad altare construendos, qui orientem respiciebant vid. cap. 43. v. 17. Ita super scalam adoraturis spatium est inter vestibulum & altare, & ipsum altare ad facies templi ponitur, juxta v. 47. cap. 40. Hæc omnia quidem sanctius & commodius fiunt quam apud Villalpandum, qui hæc omnia in atrio Sacerdotum ponit, quod videtur rerum harum sanctitati adversari, quas procul dubio a laicis attingi nefas erat.

CAP. VIII.

De templo ipso & quidem i. de vestibulo.

§. I.

Denique templum attingimus cujus superatis aut 12. aut 15. gradibus, primo accedimus ad vestibulum. [Ante omnia autem inspicienda figura 3. juxta textum continuo est, qua videmus templum cum adhærentibus ædificiis, aut cum separato, de quo mox etiam videbimus, atrium interius versus occidentem claudere. Totum parietem concipiemus distinctum 6 pilis, aut columnis quadratis 50. cub. altis, & 4. latis, unum vero extra parietem prostantibus. Mediæ ab invicem quoad centra 24. reliquæ 12. Cub. distant. Relinquunt adeo mediæ intra se 20. Cub. quot latum erat vestibulum. Totum hoc spatium simul 40. Cub. altum apertum est & pariete destitutum, decem vero cubitos interius, paries templi ipsius est, itidem 40. Cub. altus 20. latus. Adeoque vestibulum hic habemus, quale supra descripsimus, quodq; Veteribus non solum ante privatas ædes sed ante templa quoque in usu erat,

M

hic

hic quidem communiter cum altero genere conjunctum. Vestibulum hoc jam Sacer Architectus metitur. Primo utrinque
 םֶהָ לָאֵלֹהִים Quod nulla plane versio cum Montano legit *postem vestibuli*. Lat. vulgata: *Et mensus est vestibulum* B. Luth. und maß die Halle. LXX. In Codice Sixtiano quidem, τὸ αἶλ τὸ αἶλαμ sed alia exemplaria etiam legunt simpliciter τὸ αἶλαμ fortasse quia distincta accusativi nota non adest. Et fateor me aliis rationibus in eorum sententiam non parum trahi. Primo si postem hic metiamur, impossibile est conceptu qua ratione ostium vestibuli fuerit latum tres cubitos hinc & tres illinc eod. vers. Nam primo insveta esset sine necessitate hæc mensurandi ratio, cum necessario ostium ex medio versus extrema mensurandum fuisset, quod reliquorum ostiorum more, unica expressione 6. Cubitorum satis intelligeretur. Porro qua ratione vestibulum tam exilem portam habere potuerit ut simul & vestibulum dici possit, non comprehendo. Denique versus apertum atrium prægrandis templi facies parvo, & intra vestibulum contractior, majori janua aperiretur, deinde iterum in sanctissimo sequeretur angustior. Nam janua templi lata fuit 10. Cub. v. 2. cap. 41. Secundo crediderim postium latitudinem potius exprimi versu 1. cap. 41. præcipue cum hæc mensura hactenus demonstratis magnitudinibus atriorum exacte respondeat, illa penitus incommensurabilis & inconueniens sit, totam Architecturam hactenus totæ argumentis probatam confuturam.

§. 2. Quare locum hunc legi posse םֶהָ לָאֵלֹהִים (אֵלֹהִים i.e.) וַיִּמְדֵּן אֵלֹהִים
Et mensus est ad vestibulum fere persuasus sum, sic enim 2. Chron. 32. 30. ubi ponitur וַיִּמְדֵּן אֵלֹהִים pro וַיִּשְׁמֵר אֵלֹהִים abjecto ex priori littera ךֶּ schua, vocalis ךֶּ jod in eam transtertur, jod ipso quiescente. Sæpius vero jod eliditur in S. literis, possibile igitur esset, utrumque simul fieri hic loci. Verum cum grammatici de hac re taceant, ego etiam pro hac sententia stare nolum, quantumvis probabilis sit.

§. 3. Hoc vero ita posito, facile versui nostro sensus constar

constat. Nimirum sub vestibulo in fronte statim ponuntur duæ columnæ liberæ, procul dubio ad similitudinem columnarum ænearum templi Salomoniani juxta veri. cap. 40. ultim. Meritur igitur Sacer Architectus primo a poste vestibuli versus medium usq; ad extremum columnæ 5. cubitos, deinde spatium quoque inter postem & columnam s. aperturam, (ubi iterum confirmatur, quod aperturam etiam in genere significet מִן הַפֶּתַח) 3. cubitos unde concluditur spissitudo columnæ 2. cubitos. Architectura vero manifeste corroborabit hanc explicationem. Nam cum undique in atrio Sacerdotum ponamus pilas quadratas majores, ante portas tamen utrinque non possumus, nisi minores columnas ponere, exterioribus, similes, atqve adeo etiam a se distantes 12. cubitos, & in medio intra se relinquentes portæ spatium 10. cub. In vestibulo a poste ad finem columnæ sunt 5. Cubiti, utrinq; ergo hic etiam relinqvuntur 10. Cubiti juxta latitudinem tum portarum exteriorum, tum interioris templi aperturæ. Quia vero 2. Cub. pariter spissæ sunt, ab unius centro ad alterum proveniunt 12. cub. ad summam quidem & mirandam hujus ædificii elegantiam & perfectionem, versus facillimam explicationem, & cum sequenti conspirationem, ac denique Architecturæ consensionem. Hisce mensuratis ostenditur tota longitudo 20. & latitudo 10. cubitorum. Nam quod in textu undecim numerentur hinc est, ab initio postis præcipue latitudo numeranda est, quia vero basis ejus inferius projicitur ad latitudinem cubiti undique, ita requirente Architectura nostra, hinc in solo adjicitur cubitus exterius, qui etiam ad scalas, quarum juxta statim mentio fit referri potest. Hinc versus templum pergendo S. Architectus cap. 41. meretur postes hinc inde 6. cubitos, nempe inferius ad basin (superius enim 4. cubitos habebant) v. i. adeoque pervenit ad

2. Templi Sanctum.

Ibi primo januam mensurat 10. Cubitos latam, prout in templo Salomonis etiam fuerat, unde merito eam supponimus altam

fuisse 20. Cubitos. Secundo quot hinc restabant adhuc utrinque parietis partes 5. cub. latæ. v. 2. ut adeo tota latitudo sit 20. cubitorum. Longitudo ædificii erat 40. cub. iterum uti in Templo Salomonis, unde concludimus etiam altitudinem fuisse 30. cub. nempe parietis undique. Sed huic super impositum fuisse fornicem supponimus ad dimidium Circuli accurate concavum unde tota templi cum suo tecto quasi altitudo 40. Cubitorum oritur. Hinc porro v. 3. offendimus.

3. Sanctissimum.

Ubi primo portam quoad latitudinem liminis & postium spiffitudinem dimetimur duobus, ostium in lumine 6. cubitis & connumerata utrinque postium latitudine 7. Totum sanctissimum latitudine comprehendebat 20. cub. & totidē longitudine, imo procul dubio accurate cubicum adnumeratis pro altitudine non sine ratione 20. cubitis. Adeo omnia satis clara sunt quæ de ipso templo dicuntur. Sed eo difficiliora sunt, quæ de conclavibus reliquis juxta illud legemus.

CAP. VIII.

De Conclavibus & locis circa templum & ad templum pertinentibus.

§. I.

SI hæc juxta singula verba quibus describuntur rimari vellemus, hoc unicum caput tantum sibi paginarum vendicaret, quantum toti scripto destinavi. Singula enim verba cap. 4. a versu 5. usque ad 18. peculiari interpretatione opus haberent. Quare meos conceptus prius proponam ac deinde locis & scripturæ textibus probabo.

I. De Gazophylaciis.

Circa templum porticus erat duplici serie pilarum sustentata, & antè utrinque extensa secundum totam atrii latitudinem. Intra seriem interiorem circumductus erat murus utrinque ita ut undique circa templum duos cubitos latus murum templi spiffitudine augeret Sic templi paries 6. Cubitos in ferius
Pila

Pilæ autem proxime cingentes, muro versus templum addito ita connectebantur, ut circa templum porticus maneret, 4. cubitos lata, & ita murus eam ambiens, ubi pilæ erant, 6. & inter easdem 5. cub. crassus esset.

§. 2. Murus intrinsecus ille, per singulos 7. cubitos altitudinis utrinq; marginem $\frac{1}{2}$. Cub. latum nanciscebatur, atque adeo versus superiora tenuior reddebatur. In 42. Cub. ergo altitudinis quæ intra porticus erat, undiqve proveniunt 5. supra invicem margines. Hisce trabes imponebantur, singulæ una cum tabulato imposito cubitum spissæ, ut inter illas altitudo 6. Cubitorum relinqueretur. Quoniam vero in finem spatium 4. Cubitos latum erat, quia a centro pilæ ad centrum 12. Cubiti sunt, reliqua subinde cubito latiora fiebant. Hæc vero ambula-cra per fenestellas lumen ex porticu recipientia in Gazophylacia distincta erant. Horum bina inter singulas pilas eleganter collocando & intra duas pilas in medio versus occidentem ab invicem 24. Cub. distantes, tria constituendo, ob mediam pilam deficientem quidẽ commodissime, obtinemus in circuitu templi triginta tria gazophylacia & illa quidem 6. vicibus supra se invicem.

§. 3. Cæterum in pariete juxta vestibulum templi cochleares scalæ includebantur ad easque aditus utrinque ex vestibulo erat. Hæc omnia vero uti Architecturæ mire satisfaciunt, ita S. Scripturæ etiam satisfacere ostendendum est.

§. 4. Nimirum expresse v. 5. **הַצֵּלַע** ponitur 4. cubitorum. Significat autem, **צֵלַע** costam vel latus, & metaphorice hic eleganter pro cellis ad latus templi adhibetur, quia ipsæ propter plura interstitia sua costas haud inepte representant.

§. 5. Eadem vox i. Reg. 6. v. 5. 15. & 16. eodem loco in usum venit. quæ ratio aliis accedit, ut hunc quoque locum in nostro templo simillimum esse credam.

§. 6. Murus vero templi dicitur esse, 6. cubitorum eodem versu. Postea vero versu 6. teneri vel apprehendi cellæ istæ vel gazophilacia dicuntur **בְּקִיר אֲשֶׁר לְצִדְעוֹתָא** in pariete qui domui vel ad domum ad costas.

וְלֹא יָהָיו אַחֲרָיו בְּקִוֵּי הַבַּיִת:

& vel ut non essent apprehensæ in pariete domus. Ergo ab invicem separata quasi sunt partes parietis illius. Versu 8. vero videbimus parietem illum habuisse axillas, quo mire exprimuntur margines supra descripti. Tales vero minores latitudinè pro suo fine facere non possumus quam $\frac{1}{2}$ Cub. Atenim hoc ipso obtinemus parietem illum fuisse 3. Cubitos spissum. Ut vero ex uno latere se res habebat, ita procul dubio ex altero quoque. Sed expresse dicitur fuisse 5. Cub. spissitudinem vel latitudinem חָמֵשׁ אֵלֶּיךָ לְצַדֵּי הַחֹרֶב parietis qui erat costæ ad extra. Hoc ipso autem confirmatur sententia nostra, nam uti ad omnes parietes, ita ad hunc pilæ procul dubio unum prostabant cubitum, tribus intra parietem latentibus. Hic igitur adjungendi sunt 2. Cubiti ut totus paries 5. spissus eveniat.

§. 7. Altitudo Gazophylaciorum expresse dicitur fuisse, חֲמֵשׁ אַמּוֹת אֶצְלֵי הַחֹרֶב מִלֵּו הַקִּנָּה שֵׁשׁ אַמּוֹת אֶצְלֵי הַחֹרֶב pleno calamo sex cubitorum ad axillum usque, penitus juxta nostram delineationem. Cum vero margines parietis sustineant trabes gazophylaciorum, quid nominis ipsis melius quam axillarum conveniret.

§. 8. Numerus tum gazophylaciorum tum serierum exprimitur versu 6. וְהָצִלְעוֹת הָאֵלֶּיךָ אֶל צֵלַע שְׁלֹשׁוֹת וְהָצִלְעוֹת הָאֵלֶּיךָ פַּעֲמָיו

Lat. vertit. Latera autem, latus ad latus bistringinta tria:

LXX. καὶ πλευρά, πλευρὸν ἐπὶ πλευρὸν τριάνοντα τρεῖς δὲς.

Chald. Tabulata autem, tabulatum super tabulatum, triginta tria, undena per ordinem. B. Luth. Et gazophylaciorum eorum ad singula latera triginta tria erant.

Ab his omnibus explicatio mea penitus differt, quamvis & ipsæ inter se dissentiant, præter Vulgat. & LXX. Designationi autem meæ omnes illæ commodius fere conveniunt, quam mea ipsa, interim tamen nescio quid fieri de Hebræo textu deberet. Primo in fine hujus dictionis positum, caret puncto. Quò igitur

tur

tur referendum erit. Omnes quidem ad sequentem vocem, ut Et denotet, sed sine $\tau\omega$ Et, sensus idem manet, qui eo addito provenit, imo superfluum videri queat. Imo sequeretur porro vocem פַּעַמִּים ad triginta tria pertinere. Sed bis vertere vocem istam non audeo, quia ubi alias usurpatur in sacris literis, cum numeris adjunctis extat. Gazophylacia, Gazophylacium ad Gazophylacium, si triginta tribus vicibus fuisse dicamus, sensum dicti nullum invenio, nisi quod fuerint circa domum Gazophylacia unum juxta alterum, idque triginta tribus vicibus, sed quis triginta tria Gazophylacia super se aut juxta invicem ponere audebit? Accedit quod Architectura mecum tam accurate iterum consentiat. Nam si intra portam consistebant Gazophylacia, non potuerunt plus altitudinis occupare, quam columnæ cum epistilio suo interius convenit h. e. 41. cub. Juxta scripturam sacram quodlibet gazophylacium 6. cubitos altum est. Laquear ejus cum trabibus & tabulato super imposito non possumus aliter nisi 1. cub. spissitudine concipere, majorem enim mensura superflua, minor debilius justo esset. Computemus igitur 6. gazophylacia, & 5. interstitia, nam super premium communi porticus tecto uteretur, proveniunt accurate 41. Cubiti. Cæterum lubens hic sententiam mutabo, ubi cunq; minima tantum ratio in contrarium ex ipso textu fontis adducetur. Sic si, per sex interpretari ideo non liceat, quia numerus hac ratione expressus in tota sacra scriptura amplius non occurrit, etiamsi consequentiam nondum comprehendam, cum alias Masorethæ extraordinaria semel tantum in S. textu occurrentia notent, facile dixerim hic $\tau\omega$ vicibus quasi aliquot vicibus intelligendum esse. Hæc sufficiant de Gazophylaciis. Scalæ enim v. 7. satis distincte indicata, inferius fortasse ulterius lucis aliquid accipient. Quod vero hæc Gazophylacia inter porticum fuerint primo patet ex v. 12. collato cum v. 9. & 10. ibi dicitur בְּבֵיתוֹ hoc est ædificium, (structuram variis partibus contactam, qua ratione melius exprimitur columnarum fabrica in porticu quam per murum) fuisse 70. cubitos
latum

latum versus occasum, & quidem ædificium quod erat **אל-פני המזרח** ad faciem sepositi tabulati vel separati. Per quod certe nihil aliud intelligi potest quam structura gazophylaciorum, quam a pariete domus separatam fuisse antea audivimus. Si vero hic paries templi occidentalis fuit 70. cubitos latus, ratio facilis est cur dicamus hanc ipsam quoque ædificii latitudinem fuisse. Hac vero ratione spatium intra parietes adhuc ante gazophylacia utrinque fuisse constat, quoniam templum cum universo utrinque separato plures quam 52. Cub. non comprehendit. Sic ab ortu versus occasum templum una cum separato longum fuit 88. cub. totum vero ædificium longum fuisse 100. Cubitos dicitur v. 13. Quare apparet ipsum illud ædificium a facie separati vel gazophylaciorum ab iis distitisse.

¶ 9. Quod Architectura eo magis confirmat quia numeri omnes ipsi egregie conveniunt. Indubia hæc plane sunt. Sed addemus locum adhuc unicum, quem plane sententiam meam demonstrare dixerim nisi distinctiones in sacra scriptura impedirent quam evitandarū litium ergo improbare nolim, præsertim veritate jam dum patente, licet rationes, fortasse non parum speciosæ adessent dubitationis. Nam dicitur. v. 8. juxta verbalem Pagnini versionē, *Et vidi domus altitudinem, undiq; undiq; fundamenta costarum pleno calama sex cubitorum axilla. Latitudo parietis, qui costa ad extra, quinque cubitorum, & quod derelictum domus appendicum quod intrinsecus. Et inter cubicula, latitudo viginti cubitorum, circuitu domus circum circa.* Hic primo non video, quid velint sibi verba: *Et vidi domus altitudinem undique undique* verba vero: *Et quod derelictum domus appendicum, quod intrinsecus.* Neque certe cum priori parte versus coherent ullo modo, neque per se plenum sensum constituunt. At facillima lectio erit si hac ratione vertamus & distingvamus textum:

וַיֵּדֶן אֶל-פְּנֵי הַמִּזְרָח || אֶל-פְּנֵי הַמִּזְרָח
 Et vidi ad domum || altitudinem undique undique fundamentorum

2. De latitudine & longitudine Templi
universâ & de Cœnaculo.

Si in parte occidentali numeremus, primo in medio 20. Cubitos templi, deinde utrinque 4. pro muro porro 20. quos utrinque computavimus pro porticu gazophylaciorum, 4. utrinque pro pilis, & in superi. pro basibus earum, ac denique pro substructione utrinque cubitum habebimus 80. cubitos. Jam supponentes parietem, inter medias pilas 2. Cub. spissum huic addamus exteriorem cubitum pilæ cum binis cubitis baseos & substructionis, spatium quod parietis totius spissitudo occupat, provenit 5. cubitorum utrinque, penitus ad vers. 12. tenorem, & juxta eundem interius pro latitudine totius ædificii manent 70. cubiti.

§. 10. Ædificium hoc versus occidentem longum quoque dicitur 90. cubitos. Hæc vero longitudo altitudinem necessario significat, qui quidem significatus hic loci novus non est. Ex quo concludimus supra templum adhuc loca vacua fuisse, ut ibi commodissime concipiamus, aut cœnaculum aut cœnacula, præsertim si turrim iterum supra vestibulum elevatam fuisse supponamus.

§. 11. Anterior & orientalis latitudo templi cum omnibus adhærentibus asseritur 100. cubitorum fuisse, evidentissime v. 14. Ut adeo necessario anguli hujus ædificii angulos turrium utrinque attigerint.

Denique si numeremus, 10. cubitos, latitudinem vestibuli, 2. pro templi pariete orientali, 60. pro templo. 4. pro muro occidentali 20. pro porticu Gazophylaciorum, & denique pro pariete ejus 4. juxta pilarum crassitiem, provenit longitudo templi cum adhærentibus 100. Cubitorum juxta vers. 13.

3. De Cellariis circa templum.

Si ædificia circa templum cum Villalpando 50. Cubitos lata faceremus ad similitudinem reliquorum, quæ in atriiis sunt, templum a porta occidentali cum iis connecteretur, cumque certo

con-

connectatur cum iisdem anterieus versus meridiem & Aquilonem. Utrunque angustissima atriola relinquerentur juxta templum, ad maximum ejus dedecus.

§. 12. Sed situm templi nostri & figuram tam evidenter demonstravi, ut ob levem hanc ratiunculam mutari nequeant. Deinde, cum omnes partes offenderimus in nostro templo, quæ in Salomoniano fuerunt, restant adhuc cellaria, quæ commodius quam circa templum distribuere non possumus. Nam probabile est, templum quoad omnia ædificia sua plane distinctum, & quasi separatum fuisse ab ædificiis atriorum. Ergo loco ædificiorum illorum, aliis templum cingimus, quæ tantum 36. Cub. profunda sint, & in conclavia distingvimus quæ singula totam latitudinem occupent interiorem, & dupliciter in 50. cubitis altitudinis tantum sibi in vicem imponuntur. Hac ratione symmetriam hisce ædificiis ad reliqua atriorum & ad ipsum templum exquisitissimam conciliamus, & atrium satis spatiosum circa tria latera templi continuum obtinemus.

Epilogus.

Ira vero pro instituti hujus ratione satis puto descripsisse templum Ezechielis, speroque demonstrationes additas ejusmodi esse, ut facile infringi nequeant. Si vero Lectorem Benevolum mihi hæc qualescunque lineæ lucrentur, animus est Divini Numinis gratia opitulante, non adeo longo forsan ab hinc tempore, pleniorum templi descriptionem ad junctis figuris & numero & evidentiâ sufficientibus in lucem publicam edere, & ubique potissimum eo respicere, ut, quod fieri hic non poterat & Architectis & Grammaticis satis fiat. Deo autem Ter Optim. Ter Maxim. pro assistentia sua benignissima sub hisce laboribus, gratias devotissimas immolor.

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

